



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Problemata Evangelica Ut plurimum Emblematis
Coronata. Sive Quæstiones Curiosæ In singula Evangelia
Dominicarum Totius Anni**

Hartung, Philipp von

Egræ, 1689

Problema XIV. Quis unius cujusque Proximus? Dominica XII. Post
Pentecosten. Et quis est meus proximus? Luc. 10. v. 29.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76102](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76102)



PROBLEMA XIV.

Quis uniuscujusque Proximus?

DOMINICA XII. POST PENTECOSTEN.

Et quis est meus proximus? Luc.

IO. V. 29.

S. I.
Mereatur-
ne Legis-
peritus
laudem ob
hanc Chri-
sto propo-
sitam quæ-
stionem.



Audem, an vituperi-
um, præmiū an sup-
plicium, amorem an
odium Legisdoctor
ob hanc Magistro cœ-
lesti propositam quæ-
stionem: *quis est meus proximus?*
meruerit, controvertunt Doctores.
Vituperio dignum pronuntiant Ti-
tus Bostrensis, Isidorus Pelusiota,
Euthymius, Theophylactus & alii,
eò quòd volens justificare seipsum
philantia studio insolenter quæsie-
rit: *Et quis est meus proximus?* qua-
si diceret, ut habet Isidorus: ostende
mihi aliquem, qui tam magnus sit,
ut possit mecum comparari; lau-
datus enim à Christo quòd rectè
respondisset, inolescere mox cœ-
pit, & sua inflari à scientia, nemi-
nè que sibi in virtute ac scientia
parem existimare, usque adeò ar-
duum est laudes proprias modeste
ferre, atque ob auditas laudes vitu-
perium non mereri. Benignius tam-
en de Legisperito hodierno sen-
tiunt eminentissimi Cardinales Ca-
jetanus & Toletus cum Barradio &
Luca Burgenfi, ajuntque Legistam
hunc audito Domini responso totà
mente mutatum, & amore ac reve-
rentià Christi incensum, simplici

fynceròque affectu ex eodem sci-
fcitatum fuisse, quis esset dicendus
proximus, utrum videlicet Judæus
Judæo, & non Samaritano, non E-
thnico dicendus esset amicus, & vi-
legis illius Levit. 19. v. 18. *diliges ami-
cum tuum*, Israelita solùm tanquam
veri Dei cultor amore & beneficiis
prosequendus, exclusis omnibus
exteris & in hostium numero com-
putatis, qui à veri DEi cultu essent
alieni. Quam inter Legistas illius
temporis controversam quæstio-
nem cum jurisperitus hodiernus ab
Incarnata Sapientia resolvi petierit,
præconio & præmio digno vide-
tur, ità illi. Verùm cum ipsemet
Salvator noster ob hanc propo-
sitam quæstionem nec laudàrit nec
vituperàrit Legisdoctorem, laudi-
bus quoque & vituperiis ejusdem
superfedeo, & laudabilius quid ad
æterni laudem Numinis gesturum
me existimo, si piissimam hanc eluci-
davero quæstionem, quis unicui-
que mortali sit propinquissimus,
quis propriè *proximus* censendus.

Non tam facilis hæc est quæ-
stio à Legisperito proposita Magi-
stro omnis scientiæ Christo, quam
esse videatur: *Et quis est meus pro-
ximus?* si Adamum in paradiso in-
ter-

S. 2.
Uxor non
est proxi-
mamarito.

ter-

terrogem, quis sit illius proximus, respondebit Evam esse, costam scilicet suam, adeoque conjugati singuli dicent consortem thalami titulo & jure *proximi* gaudere. at si ex viro simplici & recto sensum exquiram, quem pro proximo habeat, utrum uxorem suam? negabit hanc sibi esse proximam, quia delicata mulier ad fimetum non accessit, ulcera non tetigit, saniem non rasit, sed eminens stans dolorem dolori addidit, & tanquam una de stultis mulieribus locuta est. proximos suos vocat patientissimus Rex vermes ex ulceribus enatos, quos matris & sororis nomine compellat: *putredini dixi: pater meus es, mater mea & soror mea, vermis.* licet hi mordeant, non tamen tam acerbè, sicut unica uxor mordet, quam ablatis liberis dæmon non sustulit, quia pejus ad torquendum me non habuit instrumentum. ò quot eandem cum Jobo cantilenam hodiè que habent repetere, quia damno suo coguntur experiri, nullum minus titulum proximi, quam uxores promereri, non sunt proximi, qui tecto & lecto, sed qui affectu sibi intimè appropinquant, proximum locus non facit & sensus, sed animus & consensus. proximus altari Pharisæus stare videbatur, & tamen quàm longissimè DEo iudice ab altari distabat, vicinior illo fuit ad thronum gratiæ, qui eminens ad ostium consistebat publicanus.

Luc. 8. à v. 42. Marci 5. à v. 50. Matth. 9. à v. 20. dum piissimus Iesus ad instantiam Archisynagogi Jairi ad excitandam ejusdem filiam pergeret, mulier quædam fluxum sanguinis duodecim annis passa, quam S. Ambrosius putat fuisse Martham, alii Veronicam, alii Photinam, accessit ad vestimenti fimbriam, (quæ erat ex hyacinthino colore, mandaverat enim DEus

Num. 25. v. 38. in angulis vestimentorum, similes apponi fimbrias, tanquam insignia sua, cujus præcepti sine dubio observantissimus fuerit DEi Filius) accessit, inquam, ad fimbriam, quia ut ait Chrysologus: *in Christo nihil postremum credidit, & furto fidei summam rapuit de fimbriæ Summitate Virtutem, felix fraus!* advertit hanc piam & laudabilem fraudem Iesus, & respiciens interrogat: *quis est qui me tetigit?* negant singuli, negant omnes, negantibus autem omnibus dixit Petrus, & qui cum illo erant: *Præceptor turba te comprimunt & affigunt, & dicis: quis me tetigit?* Luc. 8. v. 45. non acquievit Salvator, sed instructionis nostræ gratiâ asseruit: *tetigit me aliquis, nam ego novi Virtutem de me exisse.* optimè novit Christus, à qua fuisset contactus, erat enim totus oculus, ut rursùm habet ferm. 33. Ravennas Præsul, *qui post se supplicem sic videbat, sed quærit tamen à quo tactus sit? cur hoc quærat, non quæro, illud potius scire cupio, quis in hoc passu fuerit Christo proximus, an turba comprimens, an mulier tangens, an Discipuli ad latus hærentes? à turba se negat Christus esse contactum, etsi Petrus dicat: turba comprimunt te. Vix dubium esse potest Hæmorrhoiisam fuisse proximam, quam ipse denique vocat Filiam: Confide filia, fides tua te salvam fecit.* Matth. 9. v. 22. ita multi Crucifixum tangunt ore, manibus, corpore toto, tangunt totum corpus Christi in Sacra Synaxi, & tamen non sunt proximi, imò si Augustino credimus, non tangunt, sed comprimunt: *corpus ergo Christi multi moleste premunt, pauci salubriter tangunt.* aliud est tangere aliud comprimere, aliud corpore, aliud animo proximum fieri; quæ propinquitas qua in re tandem consistat, nondum assequor, an in consanguinitate aut

S. Augustin. Serm. 72. de temp.

K

Problemata P. Philippi Hartung.

§. 3.
Nec est ille proximus censendus qui loco vicinissimus.
Sylveira tom. 2. lib. 4. c. 39. q. 9.
S. Chrysol. Serm. 25.

te, aut amicitia, cum Christus Hæmorrhoiſſam vocando filiam ſine dubio declararit eſſe proximam: petamus id reſcire à Saule, imò à genero Saulis Davide.

Davidem Sauli proximum deſinit Scriptura, ita loquente piſſimo Samuele ad Regem impium 1. Reg. 15. v. 28. *tradidi illud, regnum, proximo tuo meliori te.* & Davidi lugubris nœnia à propheta canitur 2. Reg. 12. v. 11. *tollam uxores tuas in oculis tuis, & dabo proximo tuo, & dormiet cum uxoribus tuis in oculis ſolis hujus.* Verum quis neſcit propinquitatem ejuſmodi odio, non amore, lacrymis & diris, non deſideriis & amplexibus dignam *carve te à proximo tuo* monet Eccleſiaſticus c. 9. v. 21. & Chriſtus ipſe: *carvete ab hominibus. inimici hominis domeſtici ejus.* Manet proinde adhuc irreſoluta quæſtio, quisnam ſit proximus, quem non cavere, ſed fovere, non fugere, ſed amore proſequi debeamus.

Matth. 10.
v. 17. & 36.

§. 4.
Reſolvitur
quæſtio.

Solutionem ab ipſomet Chriſto & quidem in Crucis Cathedra nudiffimam Veritatem enunciante petamus. quis ò bone JESU tunc verè tibi proximus cum in patibulo Crucis reverà incidiffes in latrones? an non is qui in vulnera tua infudit oleum & vinum? ſed quis ille? num aliquis ex conſangvineis? num fortè ex Diſcipulis? reſpondet ipſe ex Pf. 37. *amici mei & proximi mei adverſum me appropinqua verunt & ſteterunt.* non pro me ſed contra me egerunt, proximi mei vocari non meruerunt. neque latro de hoc honoris titulo gloriari debet, etſi gratioſum audiat promiſſum: *hodie mecum eris in paradifo.* facit enim contra latronem, quod Pf. 141. v. 5. canitur: *conſiderabam ad dextram, & non erat.* ubi ergò proximum inveniemus, quem diligit Jeſus ut ſeipſum? Secretarius Incarnatæ

Sapientiæ prodit myſterium & favet reſponſu, dum ait: *Stabat juxta. Crucem mater ejus.* illa fuit proxima, de qua in canticis cecinit Salomon juxta verſionem Septuaginta: *veni proxima mea.* illa Samaritanum egit, pro oleo ſangvinem, pro vino lacrymas, & quidem ſangvineas in vulnera Crucifixi infudit, imò totum cor ſuum & animum in morientis os infudit. Verè Samaritana, imò plus quàm tota Samaria, miſericordiſſima MARIA ſtetit juxta Crucem corpore, pependit in Cruce corde, & commorienti quàm licuit commortua jure meritiffimo amica & proxima appellatur. Proximus itaque cuique calamitoſo eſt, qui conſilio & auxilio eidem a deſt, auxiliatricem manum porrigit, vinum miſerationis & oleum conſolationis in vulnera infundit. Patet veritas ex hodierno Evangelio: neque enim femineis homuncionis vocantur proximi Sacerdos & Levita, etſi fortiffis cognati & contribules fuerint, ſolus peregrinus Samarita, qui lavit vulnera obligavitque, & jumento ſuo impoſitum in pandochium deduxit, titulo proximi gaudet.

Joann. 19.
v. 24. Cant.
4. v. 1.

Epulonis Evangelici proximus fuiſſet Lazarus, ſi bonam ſcleratus ille Epulo in corpore ſuo venulam habuiſſet, experturus aliâ iterum occasione, quàm reverà Lazarus & non quinq; fratres ejus, non uxor, non liberi, quibus ſubſtantiam ſuam reliquerat, ſed ab iisdem tanquam alienis (alieni enim ſunt omnes liberi & conſangvinei, quibus divitias relinquunt teſte Pſalte: *relinquent alienis divitias ſuas* Pf. 48.) penitus eſt deſtitutus. Proximus proinde diviti pauper eſt, proximus ſano infirmus eſt, proximus calamitoſo fortunatus eſt, proximus deſuncto vivus eſt, & ſicut proxima corpori eſt umbra, ſicut proxima diei nox, ſicut proximus igni fumus,

ita

itâ calamitosus quisque juxtâ phrasim Evangelicam bene habenti proximus censerî haberi que debet; ratio est, quia quisque affictus in corde per suspiria, in ore per lamenta, in oculis per lacrymas habet auxiliatorem, quem desiderat & invocat cum Davide & Jobo: *sustinui, qui simul contristaretur, & non fuit, & qui consolaretur, & non inveni* Ps. 68. v. 21. ideòque verè proximus ille calamitosus est, qui vota miseri exaudit, & tempestivum impertit solatium.

§. 5.
Qui opitulatur proximo, proximus fit DEO.

Sicut autem calamitoso proximus est is, quisquis opitulatur, ita vicissim mandat DEUS, ut qui opulari potest, egenum & pauperem habeat reverâ pro proximo suo: *mandavit unicuique de proximo suo* Eccli 17. v. 12. unusquisque dictum sibi sciat: *curam illius habe*, quia DEUS redditor est, & sibi fieri judicat, quidquid fit calamitoso, quin & similem illum sibi DEUS æstimat, qui cum tribulato est in tribulatione, unde illa vox populi: *homo homini DEUS*; sicut enim secundum mandatum, quo jubemur proximum diligere tanquam nos ipsos, vocatur simile primo, ut videre est Matth. 22. v. 29. itâ & similis DEO censerî potest, qui propter DEUM diligit proximum sicut seipsum.

§. 6.
Samaritanus Judæum reverâ proximum suum esse agnovit.

Monet proinde Chrysostomus in Ps. 142. *quando beneficio afficere oportuerit, sit omnis homo tibi propinquus*. oportet autem beneficio afficere, quando cunque miserum vides & facile potes subvenire, *videlicet eum proximum nostrum esse intelligamus* clamat 3. Augustinus lib. 1. de Doctrina Christiana c. 30. *cui vel exhibendum est officium misericordie si indiget, vel exhibendum esset, si indigeret*. sicut enim membrum membro lege naturæ scriptâ in membris nostris succurrere tenetur, & ratione carentia bruta sibi invicem subve-

nire videmus, itâ & nos, nè brutis brutiores simus, miserrimo cuique volentes lubentésque opitulemur, tanquam ille verè proximus noster sit, quisquis ope nostrâ maximè indiget. Docet id nos Samaritani exemplum, qui semianimem Judæum, quem alioquin cane pejus & angve oderat, absque tergiversatione juvandum suscepit, quia eundem proximum suum esse existimavit. Poterat Samaritanus viso misero dicere: bone vir libenter te juvarem, sed non est tutum hic hæere diutiùs, periculum à latronibus imminet; at charitas audere fecit, poterat dicere: Vir bone in via ut vides sum, non habeo unde vulnera lavem & obligem, modicum olei & vini pro mea refectiuncula est, nè fortè non sufficiat tibi & mihi; at charitas statim aliquid invenit, nec ad proprium interesse attendit. poterat ignorantiam artis prætere: chirurgicam non didici. at ingeniosus est amor, scit quod non didicit, exercet quod non practicavit. non est enim speculativa charitas sed practica. cogitaverit Samaritanus: *jam proximus ardet Ucalegon*, hac horâ tibi, alterâ fortè mihi eadem obtinget calamitas. quare quod mihi fieri vellem, tibi faciam. Discamus à Samaritano misereri miseris, atque ut misericordiam consequamur, miseris succurramus & Paulo obediamus monenti: *induite ergo vos sicut electi Dei, Sancti, & dilecti viscera misericordie* Coloss. 3. v. 12. misericordiam induere ut vestimentum debemus, nè nudi coram severo iudice compareamus, hic enim teste Jacobo c. 2. v. 13. *judicium sine misericordia illi, qui non fecerit misericordiam*, misericordia vestis nuptialis est, tunica Christi inconsutilis est, velum Veronicæ, sindon Josephi, purpura Regis amorum est, alba non illusi, sed honorati JESU est,

est, quæ nos declarat cœli esse candidatos. misericordia testabitur nos DEi sapientiæ præcognitos, à massa perdendorum separatos, ad vitam æternam præordinatos. Hæc Anselmus innixus verbis Psalms 40. *beatus qui intelligit super egenum & pauperem, in die mala liberabit eum Dominus.* non videbit diem malam, ait S. Petrus Chrysologus homil. 11. qui dies bonos pauperem habere fecit. in angustiis illum DEus clamantem audiet, quia pauperem cum clamaret, audivit.

§. 7.
Ille est
proximus,
qui est mi-
serimus.

Ex his omnibus facile erit animadvertere propinquum illum censerì, qui miser & alienæ opis indigus, & consequenter illum esse proximum extra controversiam appellandum, qui est omnium miserimus at quis ille? de tribus potissimum generibus hominum institui potest quæstio, videlicet vivis, morientibus, mortuis. Vivos mortuis inferiores esse censuit Bertrandus, ut in vita S. Dominici legere est apud Surium, illà fortassis Salomonis inductus sententiâ: *laudari magis mortuos quam viventes, & feliciorum utroque judicari, qui necdum natus est.* Si ergo feliciores sunt mortui vivis, inferiores isti & propinquiore debent censerì, qua de causa Bertrandus rarò pro mortuis preces & piacularem hostiam litare solebat, vivorum potius salutem per preces & hostias procurandæ intentus, eò quòd animæ purgantes salutis suæ certitudinem haberent. Oggerebant Bertrando Consodales religiosi: cui Bertrande opitulari mavis pauperi qui circumit stipem erogans, an verò qui grabato affixus nequit se loco movere? quibus rationibus, cum nondum convinceretur Bertrandus, pœne opus habuit Aristotelico erudiri argumento. nocte enim quâdam à defunctorum non nemine fasce lignorum di-

Ecl. 4.
v. 3.

rè compressus respuit, proque defunctis Sanctam & salubrem suscipere coepit cogitationem. Certè qui tormenta purgantis carceris vel obiter expendit, facile in eam abit sententiam, defunctos omnibus viventibus esse sine comparatione inferiores opisque nostræ egentiores. Est enim ignis ille unus idemque cum infernali, nec alia nisi durationis est diverfitas, ac proinde omnes vitæ hujus pœnas incomparabiliter exuperat. *gravior erit ille ignis,* inquit S. Augustinus in Ps. 37. *quàm quidquid homo potest pati in hac vita.* atrociores purgatorii cruciatus sunt, quàm quos Christ' sustinuit, teste D. Thoma p. 3. q. 46. a. 6. ad 3. immaniora purgatorii tormenta sunt quàm mortalis possit oculus conspiciere, tyrannicum quodvis ingenium concipere, universa carnificum ferocia conficere. SS. Hilario, Anselmo, Bernardo credo ita conclamantibus: *intolerabilior erit ignis purgatorius omnibus quæ in hac vita conspici vel concipi possunt tormentis.* & neget quis purgatorii animas commiseratione esse dignissimas?

Facile proinde concesserim miserimis quibusque mortalibus longè miserabiliorem esse quamcunque purgatorii animulam, adeoque præ Vivis *proximi* titulo & efficaci commiseratione dignandam. at nunquid & morientibus inferiores sunt mortui, adeoque pro his potius quàm pro illis orandum? istud enim verò nego pernegoque, & indubitatè adstruo morientes miserabiliores esse mortuis, atque idcirco suffragiis nostris jure proximatùs digniores. ad quod adstruendum illo potissimum inducor motivo, quòd piacularibus flammis additæ animæ de æterna salute sua securæ, nullis dæmonum insidiis obnoxia, nullis peccandi periculis expositæ, sed insuper vivorum suffragiis

§. 8.
Agonizantes censendi sunt miserissimi adeoque nostri proximi.

giis cumulentur plurimis, Angelo-
rum solatiis recreentur creberrimis,
certâ insuper propinquioris beati-
tudinis spe abundantissimè affician-
tur. at verò agonizantes ter miser-
rimi in utriusque bivio æternitatis
constituti, destituti omni omnino
solatio, & imminentis insuper iudicii
horrore attoniti præteritæ vitæ no-
xis excarnificati, horridis dæmo-
num spectris perculsi, & mille insi-
diis circumsepti proximum adeunt
salutis suæ quantumvis probè vix-
erint discrimen. heu mihi quanti ibi
angores, timores, mœrores, à qui-
bus nec Incarnata Sanctitas libera
fuit! Heu mihi, quanta ibi syrtes,
scyllæ, charybdes, in quibus innu-
meri naufragaverunt! Heu mihi,
quos audio gemitus, lamenta, voci-
ferationes! quas non voces exau-
dio Hilarionum, Agathonum, Ber-
nardorum, & quorum non? *egrede-
re anima mea! egredere! quid times?*
clamat Hilarion: *formido exire & in
ipso contremisco portûs ingressu,* ex-
clamat Bernardus: *judicia DEi ab-
gessus* conclamat Agatho, *quia quæ ho-
minibus videbantur optima, coram
DEO damnationem merentur.* quem
ista non movent? horribilius est
quod audio, dæmonum videlicet
tantam esse multitudinem, nullum
non moventium lapidem ad te-
trum damnationis calculum pro-
curandum, ut numerus pœnæ fidem
excedat. Bonnensis Prælati in
agone professus est teste Cæsario
pluribus se cinctum dæmonibus,
quàm in vicino refertissimo horreo
culmi sint, in Cunonis Malburgen-
sis obitu, quindecim dæmonum
millia teste eodem Cæsario nume-
rata sunt. in Gevardi Abbatis verò
plures comparuere diaboli, quàm
essent arenulæ in littore maris. in

S. Eusebii agone tot tàmque horri-
bilia teste Cyrillo adfuere spectra,
ut omnes pœnas respectu visionis
illius nihil esse Eusebius asseveraret.
Si nec Hercules contra duos, quo-
modo agonizans sibi relictus solus
contra tot millia? ah! clamorem
eorum, miserorum agonothetarum,
quem sudor fatalis totius corporis,
quem natantes in morte oculi,
quem cordifragi singultus, quem
miserandæ gestulationes, quem
hiantia ora proloquuntur, & os au-
reum consignat, exaudiamus: *Vale-
te amici mei, & DEum pro me exora-
te. iter enim perago extraneum, quod
nunquam ambula-vi, & in Regionem
longinquam, quam nunquam vidi, &
in alterum sæculum, unde nullus re-
versus est, & in mansiones metuen-
das, ad quas nullus me comitatur, &
antè iudicem terribilem, ubi nescio
quid mihi contingat. ecce quæro adju-
torem, & nullus est, qui eripiat: quæro
qui me comitetur, & nullus mihi com-
patitur.*

Cyrril. ep.
ad Augu-
stum.

S. Chry-
sost. orat.
de patient.

Compatiamur & concluda-
mus: omnis agonizans est meus
proximus, quia mortalium est mi-
ferrimus. omnis agonizans meus
est proximus, quia opis meæ egen-
tissimus avidissimusque. omnis
agonizans proximus meus est, quia
suum me relinquit hæredem, & su-
premo me affatur anhelitu. cras
tibi, hodie mihi, imò hac horâ mihi,
sequenti tibi.

§. 9.
Quisque
proximum
se moritu-
ro, & pros-
ximè
moritu-
rum cogi-
tet.

Pro Emblematio Umbram Cor-
pori individue adhærentem, in Um-
bra verò Mortem effigio ac inscri-
bo: *sua cuilibet Umbra proxima.*

Mors Umbra est; sequitur, præ-
it, aut comitatur euntem,
Umbram te donec fecerit Um-
bra suam.

Cæsar. lib.
1. c. 8.

K3

PRO-